

impendendum; Uti antehac in duabus è Norvegia ad Te missis literis indicavi.

Havniæ per paucos commoratus menses Stipendioqve Academico jam jam donatus perfectionem ad extraneas paro Academias.

Quorsum verò potius ac prius quam ad Te Fautor Generosissime! me conferam, non video; Uti enim limpidissima ex ipso semper fonte hauritur lympha, ita sane Historiæ naturalis, cui per tres perigrinationis meæ annos totum incumbere certum et fixum mihi est propositum, solidissima cognitio ex eruditissima Tua Instructione facillimè promitur; A Te enim hujus scientiæ nostri ævi Principe veroqve Instaurore quotidie detecta aurea Inventa typisque divulgata frequentissima cedro digna Scripta quantum luminis eidem accenderunt, neminem hujus Cultorum fugit; Si Tua itaqve venia Tuoqve Consilio ac Svasu fiat, Mense Aprili Upsaliam adire constitui; majori enim cum emolumento deinde coeteras Europæ Academies Regioneqve me lustraturum fore nullus dubito.

Si quid hic reperitur, quod Tibi apportandum cupis, de Tua Voluntate per literas ante abitum me certiozem facias velim, qui Tuum quam lubentissime exequar Imperium.

An Buchwaldi Specimen Medico-Practico-Botanicum cum duabus circa Islandiam dissertationibus accepisti?

An Musa adhuc viget?

An Jacobæi Museum Regium Havni: fol. c. Fig. it: Rumphii Musæum Amboinense inter illustrissimi Tui Musæi incolas numeras? Sin minus, eadem mecum afferam.

An in Musæo Academico reperitur Unicornu sic dictum Marinum, numqve alias in quodam habetur pretio; Tria enim istiusmodi cornua 4 s. 5 ulnarum longitudine heic venalia exstant; De quibus ante abitum instructus, eadem, si jusseris, cum proxima navi Holmiam mittenda curarem.

De coetero Tuum in posterum Favorem quam humillime mihi apprecatum velim. Uxori Tuæ charissimæ natisqve Tuis dilectissimis quam plurimam meis verbis salutem nunciare etiam atqve etiam rogo.

Havniæ d. 23 Februar: 1754.